



DE FATIS 2.
URBIS LUSATORUM
L U C C A V I A E

AN. MDCCXIII

C A R M E N.

AUCTORE

M. JOH. DANIEL SCHULZE,

RECT. LYC.

LUBBENAE

IMPRESSIT FRIDERICUS DRIEMEL

MDCCXIV.



d. V. 15. 76

V I R O M A G N I F I C O

A C

SUMME VENERANDO

D. CHRISTOPHORO FRIDERICO

A M M O N I O,

REGI SAXONIAE A CONSILIIIS ECCLESIASTICIS,

CONCIONATORI AULICO

EIQVE PRIMARIO,

SUMME SACRORUM SENATUS ASSESSORI

C E T.

HANC OPELLAM

PIE

D. D. D.

ATQUE SE SUAQUE OMNIA

COMMENDAT

AUCTOR.



Sol nondum exactis complerat mensibus annum,
Quum patrios repetit, Russorum territus armis,
Agros, heu! frustra magnus promissor. Egestas
Atque gelu rigidum compresserat ora superbi.
Scilicet ulta feram Nemesis non immemor iram, 5
Ardentesque tuas nuper, Moscavia, tures,
Sacraque, latronum pedibus protrita profanis.
Atque fugae turpis sequitur comes, horrida pestis,
Quae cunctos patriae late grassata per agros,
Perdidit innocuas, exhausit civibus urbes. 10
Haec erat hospitii merces: haec digna laboris
Praemia, quo cupidos fovit Germania Gallos.
Corripuit nostros vis aucta mali: opprimit una
Nox thalami socios: jungit miserabile fatum
Cum senibus juvenes ac natos matribus addit. 15
Et rapit aegrotos pariter pariterque medentes

Clades: auxilium votis artique negatur.
 Ac dudum pavidæ Musæ loca tuta petebant.
 Nulla tamen juvenes poterant contagia Musis
 Laedere sacros: nulli nocuere magistro.

20

Qualis at aestivis horis quum, sole rubenti,
 Nubes imbre gravis paullatim obscurat Olympum,
 Ac propius tonitru resonat jam murmure rauco:
 Stat trepidatque tuens in avito rure colonus,
 Igne vel aërio ne tecta recentia flagrent,
 Imbri vel grando mistus proculcet aristas:
 Talis suspensas agitat trepidatio mentes,
 Terraque proh! vertentem annum gemebunda salutat.
 Irrita vota facit commota mente sacerdos,
 Ac populus frustra supplex advolvitur aris,
 Pro se proque bono blanda prece numen adorans
 Principe, ne stantem evertat Fortuna columnam.

25

30

En! Velut infernis exciti sedibus adsunt,
 Quos, Berecyna, tui fluctus volvere sepultos:
 Et citius, quas messis habet, numeret quis aristas,
 Quam quas Oenotri, Galli Batavique catervas

35

Miserunt, Caesar, tua castra injusta sequutas.
 Nulla platea domusve vacat, non angulus usquam
 Milite clamoso: raucum quatit omnia cornu:
 Perstrepit horrisonis regio, quaqua patet, armis. 40
 Nec caret insolito strepitu, quam provida Patrum
 Cura dedit pietasque immunem prisca magistris,
 Vlla domus. Paries sacer hic heu! verba refugit
 Impia, mens horret referens et facta virorum.
 Pertica tum miseri metata est effera agellos 45
 Civis et agricolae: tria mox hic plurave stabant
 Castra, ubi nuper erant sata laeta boumque labores:
 Pauperis et prostrata jacet spes cuncta coloni.
 Jam regio circa nocturnis ignibus omnis
 Lucet, et it superas clamor confusus ad arces. 50
 Hortus, et arbor, et ipsa domus, cella atque supellex,
 Militis omnia sunt. Agris excede, colone,
 Quisquis es, ac tectis: proprium quodcunque dicatum
 Jure tenes, rapiunt sibi militis arma furorque.
 Vos quoque, Pierides, antiqua cedite sede: 55
 Imperio Martis, quo non violentius ullum,
 Haud parere, nefas. Juvenes, discedite, quondam
 Urbis deliciae, capita o! carissima: par quos

Ingenuae artis amor, virtutis et aemula cura,
 Urbibus excitos pagisque huc egerat olim. 60
 Ite, mei memores, sedes ubi forte faventes
 Interea studiis concedet et otia Phoebus *).

Haud secus ac proprio miles dominatur in agro.
 Nec satis unus ager: vicinas perdere messes
 Cogit dira fames adigitve insana libido. 65
 Ceu quondam incubuit terris gens tetra, locustae,
 Et spissis segetes largas abscondidit umbris:
 Languet ager late, frugum depastus honorem,
 Palmaque cum ficu defit, cum palmite malum,
 Ac pecus infesto campo mala gramina carpit. 70
 Vidi ego, quae pueris servarat sedula nutrix,
 Heu! rapidas auferre manus enseque minari.
 Matres atque senes (ea vestra est culpa, latrones!)
 Veste diu miseri caruere ac pane secundo.

Non poteras nimium, Luccavia cara, dolori 75
 Indulgere tuo: dudum majora ferebas,

*) Plerique discipulorum nostrorum mense demum Sept. a. p. redierunt.

Quam potuisse putes ferri. Graviora sed urgent.
 Lux eadem *) nobis infandi causa doloris,
 Foedere qua pacto miles deponere ferrum
 Jussus et interea vires reparare labantes, 80
 Dum foret unanimi studio pax reddita terris.
 Necdum pertulerat rumore nuntia Fama:
 Ocyus hostis **) adest saevus, quo tempore prima
 Prandia cum natis jungunt matresque patresque.
 Parsque tenet colles: alii se in litore condunt. 85
 Et jam tela volant contorsa, sonumque dedere,
 Qualis, quum tonitrus quassataque fulmina stridunt.
 At strictis contra Prussi ***) mucronibus adstant:
 Obsessasque fores tenuere atque ultima tecta:
 Tela manu rapida jactant hinc plurima in hostes. 90
 Hi densi subeunt portae: in vicina sub urbe
 Tecta faces gravidas immittunt ignibus: eheu!
 Continuo prolapsa sonantque trahuntque ruinam.
 Ac primum nubes involvit nigra polumque

*) d. $\overline{\text{IV}}$. Jun.

**) Udinoto duce.

***) Duce Bulovio, qui cum suis jam aliquamdiu urbem tenuerat.

Et terram: sed mox rapidis micat ignibus aether. 95
 Quisquis ines tectis, fuge teque his eripe flammis.
 Quae tantae potuere morae retinere paventem? *)
 Jamque fugam tentant lapsique per avia vadunt,
 Et, qua monstrat iter cuivis Fortuna, sequuntur.
 Obruta pars telis ac circumfusa tenetur. 100
 Plurimus errabat coeca formidine captus.
 Ecce! gravis pietate senex, venerabilis annis,
 Visurusque suos, gratas visurus et aedes
 Extremum generi, media inter tela vacillat.
 Pallor in ore sedet, jamjam moribundaque torpent 105
 Membra: at te nullus languor, te nulla pericla
 Terrent: unus amor gressus confirmat euntis.

Proelia miscebant ad serae tempora noctis.
 Diffugiunt tandem Gallorum fusa per agros
 Agmina. Terra cruore madet, cumulataque passim 110
 Funera per vicos videas, cumulata per agros.
 Atque frequens impulsa jacebat cuspide quercus,
 Tristeve pendet onus, ramis et cortice postquam

*) CXV aedes eo die sunt incendio consumtae, et XVIII quidem in urbe, reliquae in suburbio Calaviano, quod plane est dirutum.

Est exuta suo, detonsa comaeque decorem.
 Horreaque *) exaequata solo testantur amorem
 Pugnae, tela cito jactu vibrata virorum,
 Glandesque ignitas magno stridore volantes,
 Atque hominum tenui filō pendentia cuncta.

Tum vero (tanta est miserorum cura!) Borussos
 Cernimus ad flammās ac tecta relictā ruentes,
 Auxilioque levare viros vimque addere fessis.
 Jamque trabes alii devolvunt damna minantes:
 Ast alii in scalis haerent sub culmina que ipsa
 Nituntur gradibus. ~~Stridit refluentibus undis~~
 Ignis, et in medio cursu flammae ira resedit.
 En! Cineres mutus possessor obambulat atros,
 (Nam lacrymae tanto desunt et verba dolori)
 Amplexuque fovet trepido dulcesque nepotes
 Uxoremque bonam, fatis melioribus usam.
 Perdedit una dies, multos quae cura per annos
 Collegit, pietasve dedit servanda parentum.
 Pauperis heu! tugurī congesto cespite condunt,
 Quas vel opes Fortuna dedit servare misellas,

*) Numero LII.

Vel quas de magno sublatas dives acervo
 Attribuit, vel quas auferre coëgit egestas. 135

Otia miles agit: *) languentem dira libido
 Torquet: vulgivagae Veneris sacra foeda frequentat.
 Quidvis turpe parans teneros non respicit annos:
 Non pueri, non est capitis reverentia cani.
 Nullaque sacrarum legum, jam nulla senatus 140
 Majestas. Quisquam nunc judicis ora veretur?
 En! Trahitur consul, manibus post terga retortis,
 Collega trepido comitante per arma, per ignes.
 (Namque quod ipse Pudor dici vetat, ille negarat.)
 Mirum, ni ducis os timeant, quem saeva libido 145
 Inque vicem stimulant Bacchi Venerisque furores.
 Late grassantur fraudes, perjuria falsae
 Linguae, visque scelusque, cupido et stupra nefanda.
 Qui meliora cupit suadetque, perosus iniquum,
 Spernitur et (crudele nefas!) heu! verbera sentit. 150
 Et tu, Saxoniae dudum qui sceptrum tenebas,
 O pater, Augustus quo nunquam justior alter,
 Sospite quo licuit quamvis sperare salutem,

*) Postquam inducias cum hoste pactus erat imperator Gallorum.

Temneris (hic mentes cupidas furor obsidet) hosti:
Quaeque tuo exsultat tibi dedita nomine turba, 155
Haec timida, haec excors patriaeque inimica vocatur.

Ac trahit haec aliam pestis: contagio labem
Dat morum illa dabitque in plures. Immemor aequi
Rusticus ac civis, jamdudum vivere raptio
Suetus, et humani pariter jurisque sacrati 160
Contemptor, fraudem reperit gaudetque reperta.
Venter humi figit divino semine natam
Mentem: vis sceleris crescit cum mole malorum.

Nec mirere. Datum templumque scholamque dolemus
Militibus, raptum potiusve impune teneri. 165
Et quae augusta pias mentes ad sacra vocabat,
Turpiter obticuit campana: ex tempore longo
Quae loca Religio proprio quasi jure tenebat,
Exercet notas illic Podalirius artes.
Hic, ubi praeconis modo commendata severa 170
Voce suas Virtus Pietasque adamaverat aras,
Perculeratque sacro mentes horrore silenti,
Bajulus infractas sedes clamore frequentat.

Sordibus et squallent circa, quae sola nitebant.
Implet passa famem mugitibus aëra vacca, 175
Taurorumque furor trahit omnia et omnia frangit,
Quos belli rabies ex totis undique pagis,
Solas delicias ruris, dominique beati
Divitias, stabulis stratisque huc compulit orbos.

Atque, ubi laeta suis studiis operata juvenus, 180
Undique corrasus panis jam conditur illic.
Inde, gubernaclo ratis vt privata secabat
Incertas errore vias ac luminis expers,
Sic duce per vicos pubes, sic orba magistro,
Cursitat ac pecudum lascivit more modoque, 185
Confusoque strepit clamore platea vocantum.

Post longas noctes redeunt nova gaudia Phoebi.
Namque dies aderat, tua quo praesentia tandem
Numina mirari licuit, certissima gentis
Spesque salusque tuae, quo vindice patria gaudet!! 190
Invehitur curru victor, stipante caterva
Gratantum pariter, pariter „pater alme“ vocantum.
Postera vixdum expectantes Aurora salutat:

Circumvectus equo Caesar quum singula lustrat,
Et superat collem, qui plurimus imminet urbi, 195
Castraque adit subjecta, suosque revisit ovantes.
Compellare virum moestasque expromere voces,
Tu ne crede nefas, consul praeclare: domorum
Dudum te monuere rei nostraeque ruinae,
Te vultus taciti et lacrymis madida ora tuorum. 200
Consul et interpretes jam arrectis auribus adstant.
Paucula, sed graviter, Caesar pro more loquutus. *)
At qui stat propior **), verbis solatur amicis.
Caesar abit. Miseris incumbit densa malorum
Nubes. Sic Moses quondam cum rege loquutus, 205
Vt populi vellet magnum lenire dolorem,
Vtque Dei monitu miseris exire liceret
Servitio tandem patriosque revisere fines:
Ast animo regis tumido furor additus ex hoc
Tempore, et accessit moles nova magnaue pressis. ***) 210

Rustica nam pubes ex omnibus undique pagis,

*) „Je vais à Berlin.“

***) Coulaincourt, Duc de Vicenza.

***) v. Exod. V, 25.

Rutra manu gestans humerumque accincta bipenni,
 Accersita venit, (videas sine fine catervas)
 Caesaris imperio magnum instaurare laborem,
 Moliri vallum valloque obducere fossam. 215
 Id fore munimen nulli penetrabile ferro
 Sperabant: pestis gravior qua nulla reperta est.
 Illi fissa viam pandunt per moenia telis:
 Effodiunt alii terram: pars celsa bipenni
 Culmina tectorum, quacunque objecta patebant, 220
 Diruere: hi circa silvas excidere et hortos.
 Heu! Cadit annosa cum quercu altissima pinus,
 Populus atque salix multos adamata per annos.
 Moeret ager late, prisco spoliatus honore:
 Jussaque sacratis excedere numina lucis 225
 Moerent, fortunam miserata suamque locique.
 Heu! Chorus obticuit volucrum, quas mitior annus
 Rettulerat, mea vota, meae lenimina curae.
 Horresco deserta tuens, et frigore membra
 Solvuntur trepido. Quis talia tantaque spectans 230
 Temperet a lacrymis? Quis non excedere claustris
 Et mage praesentes alibi cognoscere Divos
 Malit, quam talem circa spectare ruinam?

Quid mihi, quid vobis hic restat dulce, sodales?

O nemus ambrosium, mea te quam saepe requirent 235

Lumina, ubi fessus, recreat quum Vesper amicus

Mortales miseros, captabam frigus opacum!

Mons erat, ac montem claudebat plurima silva:

Illic vere novo frondebat vitis abundans:

Turris et in medio celsae mirere nitorem. 240

Laetitiae Bacchus quoties dator atque Cupido

Juncti miscebant grato hic certamine ludos!

Hic quoties dominam fagi contexerat horror,

Sperantem haec frustra curae oblectamina proli!

Scilicet exsequitur miles decreta supremi 245

Terrarum domini, non exorabilis ulli.

Nec schola fissura caret. Ecce! Foramine longo

Murum diductum scelus ac petulantia foedat.

Linquere nulla manus potuere intacta profanae.

Militis en animum saevi. Uno crimine plura 250

Discas. Immitis media nil tale timentem

Nocte vocat civem, verbis hortatur acerbis:

C

Surge, age, abi et nobis haec cedere tecta memento.
 Vix ea dicta dedit, tectis en! protinus omnes
 Ejicit. Hi rogitant, ut tecta revisere saltem 255
 Ac secum liceat caros efferre Penates.
 Frustra. Deturbat culmen ridetque gementes.

Laeta fuit quondam studiis florensque platea
 Arte virum, juvenumque jocos celebrata decoris.
 Nuper ibi natum genitrici grata videres 260
 Oscula figentem: in cunis cum mente loquelam
 Dum tentat tenerasque manus protendit alumnus.
 Doctor at hic, elementa, ovis, ut discere vellent,
 Crustula blanda dabat, sinceri pignus amoris.
 Hic, patrios cineres ut conderet ossaque, longum 265
 Agmen prodibat comitum memorum brevis aevi.
 Hic aderat virgo juveni matura decoro
 Ducta domum: assiduo resonabant proxima cantu.
 Sic laeta austeris variataque festa profanis.
 At nunc una loco facies, color unus: inanis 270
 Vastaque congeries obducto foedaque limo.
 Scilicet oppositae moli cessere vetusta
 Tecta colonorum, dextra laevaue minanti

In coelum. Attonitos en! huc discordia regum
 Perduxit cives: en! frustra vota precantum. 275
 Hinc aliquis, forsán nostras delatus ad oras,
 Foeda videt, visisque stupet, suspiria ducens:
 Hei mihi! Quam deserta jaces mutataque ab illa,
 Quam vidi quondam campis hortisque virentem:
 Cujus ego laetasque domos mirabar opesque! 280
 Heu! Quantum te fata Deúm, urbs miserabilis, urgent!
 Ferreus est, quem non miseret tam indigna ferentis.

At super immensi fuerat pars magna laboris.
 Moenia nam cingi dire obediens videmus *)
 Expugnare locum triplicemque evertere molem 285
 Certant: sed Galli summa defendere opum vi:
 Mixtaque Saxonidúm quamvis invita volabant
 Tela. Citae passim globulis sonuere fenestrae.
 Cernimus attonitos in primò limine multos,
 Perpetuoque necem certam praeferre timori. 290
 Ast alii passim totam trepidare per urbem.
 Nec spes ulla fugae. Nil intra moenia tutum,
 Nil extra. Heu! Perculsa nova formidine quaeque

*) d. XXVIII. Aug. duce quidem Tanenzinio.

Mens horret. Subitis nam cernimus ignibus aedes
 Correptas calidoque involvimur undique fumo. 295
 Ora rigant lacrimis: fessas ad sidera palmas
 Tendunt: blanditias addunt: sed ferreus iste *)
 Flecti posse negat: quaevis, ait, esse paratum,
 Digna, indigna, pati, captam modo vindicet urbem.
 At jam saxa facesque volant, et quisque minatur, 300
 Praecipitem detrudere equo flammisque cremandum,
 Hosti composita ni dedat moenia pugna.
 Tandem per medios ignes succedere portis
 Jussus adest hostis. Cupido clamore salutant:
 Laetitiaque brevi moeror miscetur acerbus. 305
 Nocte, die, trepidam grassatur flamma per urbem.
 Assiduo sonitus campanae verberat aures.
 Ventus enim hinc vehemens alimenta objecit et illinc.
 Deficiunt animique manusque: suprema foret lux
 Vrbi, ni curet, qui vulnera fecerat, idem. 310
 Postera lux tandem lustrabat lampade terras:
 Gaudia sollicitas sed nulla dolore levabant
 Mentis: urbis enim patuere recentia damna. **)

*) Praefectus praesidio urbis.

**) Domus circiter XVII vel dirutae vel incendio absumtae.

Diditur ac subito praenuntia fama per urbem,
 Agmina Gallorum reparatis viribus ire
 Hostes ejectum. Crescit metus atque tumultus. 315
 Ac volucres quondam veluti fugere citatae,
 Milvus ubi forsans conspectus in aëre summo
 Exitium pullis una matrique minatur:
 Passer et accipitri jamjam ceu praeda futurus 320
 Confugit in gremium terra residentis in ima:
 Sic pavidas temere videas discurrere matres:
 Mox natale solum cunctas, velut agmine facto,
 Linqvere consilii expertes matasque iurasque:
 Quas misere comparsit opes male sedula cura, 325
 Vna efferre domo brevibusque excedere portis.

Certa Borussorum patriis sed finibus hostem
 Demovet audacem virtus reprimitque minantem.
 Munierant colles objectis molibus illi.
 Quanto constiterunt urbi haec munimina nostrae! 330
 Horresco referens. Insana Licentia cunctas
 Diruit hortorum sepes: excindere certat,
 Si quid Gallorum furor insatiabilis usquam

Liquerat intactum: quae tempora longa labore
 Immenso peperere, cadunt excisa repente. 335

Est locus, ingenti quem cura benigna dicavit
 Sumtu: semper opes huc confluxere piorum.
 Hospitium miseris certum. Hic viduasque senesque
 Publica sportula alit, tranquilla sede receptos.
 Contiguum est, insigne patrum pietate, sacellum. 340
 Hujus et alta cadit, signum haud ignobile, turris:
 Ne queat hostis ab hac velut arce effringere muros.

Sic, vt terribili bacchatur nocte procella,
 Indomito devastat opes Bellona furore.
 Scilicet est hodie major, quam, parta tueri, 345
 Virtus, igni urbes ac ferro perdere laetas.
 Ah! Vicina loci priscum gemebunda requirunt
 Florem: tecta diu et cives sua rura requirent.
 Solamen miserum, socias habuisse malorum
 Finitimas urbes, patriamque aulamque gementem. 350
 At duce te, Princeps, quem Sarmatis edidit ora,
 Nil desperandum. Nostras regnare per urbes
 Te, talem, et miseris rebus succurrere Caesar,

Te moresque viris ac moenia ponere jussit:
Numine plena Dei longo certamine donec
Agmina destiterint, felix concordia regum
Si dederit terris alma cum pace salutem.

355

Te prosequere vna ac magna bonora iussit
Nunc plena Dei longo certamine bono
Agnus dicitur, Felix concordia regna
Si debet terra cum pace saluam

GOTZMANN
BUCHBINDEREI
Görlitz
NeiBstraße 22



SLUB

Wir führen Wissen.

<http://digital.slub-dresden.de/id445730676/27>



GÖRLITZER SAMMLUNGEN
OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK

Oberlausitzische Bibl. Görlitz



1005412 3



SLUB

Wir führen Wissen.

<http://digital.slub-dresden.de/id445730676/28>



GÖRLITZER SAMMLUNGEN
OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK